


V c  
939







T  
A  
H  
Q  
T  
G





h. 70, 2.

Vc  
939

ILLVSTRISSIMO=  
 RVM DVCVM SAXONIÆ  
 PRÆSTANTIVM SAPIENTIA, VIR=  
 TVTE ET RERV M FORTITER AC UTILITER  
 GESTARVM GLORIA HEROVM VIVAE EFFI=  
 gies, ab anno natiuitatis CHRISTI 842. vsq; ad  
 annum 1571. ex antiquis & fide dignis  
 monumentis delineatæ & expressæ,  
 vnâ cum singulorum  
 elegijs.



15

71.

DANIEL. 2.

Sit nomen Domini benedictum à seculo & usq; in secu=  
 lū. Quia sapientia & fortitudo eius sunt. Ipse mutat tempo=  
 ra & etates, transfert regna atq; constituit: Dat sapien=  
 tiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam.

EXCVSÆ WITEBER=  
 gæ, per Gabrielem Schnelboltz.











# ILLVSTRISSIMO PRINCIPIAC DOMI-

NO, DOMINO, AVGVSTO, DVCI SAXO-  
NIAE ELECTORI, SACRI ROMANI IMPERII  
*Archimarschallo, Landgrauio Thuringiae,  
Marchioni Misniae, Burggrauio Ma-  
gdeburgensi, Domino suo cle-  
mentissimo, S. D.*



**H**EROICARVM ET INSIGNI-  
um personarum Historias  
conseruari multas ob causas  
vtile est, precipue vero, vt  
exemplis ad pietate, & vir-  
tute incitentur alij; & Deo  
gratie agantur, quod salutare Ecclesie Do-  
ctores, ac Reipub. gubernatores omnibus tem-  
poribus alias plures, alias pauciores dederit.  
Quorum illi Euangelij doctrina aut traditam  
a maioribus puram retinuerunt, aut corrupta  
obscuratamue repurgarunt, illustrarunt, inte-  
gramq; ad posteritatem propagarunt: Hi au-  
tem veram religionem, verosq; cultus defede-








runt, leges, iudicia, disciplinam, pacem, Urbium  
munitiones, Respub. & Scholas, hominumque  
societatem constituerunt.

Quæ beneficia Dei Paulus Apostolus bre-  
uiter in Epistola ad Timotheum complecti-  
tur, ubi pro felici magistratum gubernatio-  
ne preces in Ecclesia fieri præcipit, causamque  
his verbis adiungit: Ut tranquillam & quie-  
tã vitã agamus in omni pietate & honestate.  
Hæc munera Dei gratis animis agnoscenda,  
& prædicanda sunt, & præsertim hac postre-  
ma mundi ætate, qua puram & sinceram do-  
ctrinæ Euangely lucem singulari bonitate, et  
misericordia restituit: & orandus idem Deus  
fons & dator omnium bonorum, ut quos tri-  
buit pios ac felices Principes ac Doctores, diu  
incolumes & florentes conseruet, ac deinceps  
quoque similes benignè largiatur, idque faciat  
propter nominis sui gloriã, & Ecclesiæ uti-  
litatem.

Hæc, ut dixi, sunt præcipuæ causæ, cur possit  
notas esse & retineri Historias virorum in Ec-  
clesia, & Rebus publicis diuinitus excitatorum.







Conseruantur autem illae duabus maxime rationibus, partim monumentis literarum, partim etiam picturis: Hae corporum simulachra, illa animorum, ut inquit Cicero, effigiem quandam exprimunt: Has olim etiam usitatas fuisse inde constat, quod partim in libris authorum de excellentibus pictoribus, sculptoribus, statuarijs, fusoribusque legitur, idemque probant vetera imaginum & numismatum monumenta. De illis nihil est dubij. Nam per ea quidquid antiquitatis de statu Ecclesiae, de constitutionibus & mutationibus rerum publicarum, de artibus, de rebus gestis, aliisque cognitu dignis extat, id omne inde usque a principio mundi beneficio literarum conseruatum est, & ad finem mundi conseruabitur. Maxime igitur Doctorum in Ecclesia & gubernatorum reipub. Historiam retineri necesse est, quia sciri oportet, quantum fieri potest, quae fuerint initia Ecclesiae, quae patefactiones Dei, quo ordine doctrina Euangelij & legis tradita sit, quando, quibusque in locis & per quos, ac sub quibus gubernatoribus renouata,








repurgata, & propagata sit, quibusq; testi-  
 monijs diuinitus confirmata. Ad hæc rectè  
 consideranda oportet totam mundi historiam  
 ordine in conspectu habere, vt veram Eccle-  
 siæ doctrinam ab omnibus alijs discernamus,  
 nosq; ipsos veritate rerum confirmemus.

Quod cum ita sit, **ILLVSTRIS-  
 SIME ET CLEMENTISSIME  
 DVX ELECTOR**, vt antea Sancto-  
 rum Apostolorum, Doctorumq; in Ecclesia,  
 & Principum aliquorum nostræ ætatis Ima-  
 gines Typis excusas edidi: ita nunc etiam vni-  
 uersæ Prosapiæ & Familiæ Illustriss: C. V.  
 effigies & *εικόνες* vnà cum carminib<sup>9</sup> breuiter  
 historiæ summam comprehendentib<sup>9</sup> expressi:  
 quas Illustriss: C. V. summa cum animi sub-  
 missione offerens dedico, & oro, vt Illustriss:  
 C. V. eas animo clementi & benigno accipi-  
 ens aspiciat & legat, in quib<sup>9</sup> nobilissimæ &  
 antiquiss: **DOMVS SAXONICÆ**  
 & cognatarum series cernitur, quæ pietate,  
 iusticia, munificentia, fortitudine, & rerum  
 gestarum gloria, omnium deniq; virtutum ex-







emplis semper excelluerunt, q̄ prodest non tantum scriptis, sed etiam picturis ad posteros propagarij.

Deus aeternus pater Domini nostri IESU CHRISTI, Vita & longitudo dierum nostrorum, Illustriss: V. C. vna cum principib<sup>9</sup> liberis, cum Regina Coniuge carissima, cum omnibus deniq; consularijs & ministris diu saluam & incolumem conseruet, suo sancto Spiritu regat, & faciat, vt gubernatio Illustriss: C. V. ad gloriam nominis diuini conducatur, sitq; Ecclesiae Christi, totiq; Reipub. salutaris. Amen. Vitebergae pridie S. Michaelis, quo die Ecclesia gratias agit DEO pro custodia sanctorum Angelorum. Anno Christi M. D. LXXI.

Illustriss: Celsitud. Vest:

Seruus addictiss:

Gabriel Schnelboltz  
Merseburgensis Typograph<sup>9</sup> Vitenb.







# LVTOLFVS DVX SAXONIÆ.



*NObilis Angariæ Dux, Rugorūq; potentū,  
Brunonis soboles clara, Lutolfus erat.  
Hic in Saxonia, generosis dotibus, amplum  
Promeruit Magni nomen habere Ducis.  
Fortibus excellens animis, at pacis in armis,  
Et memor in tanto semper honore Dei.  
Cuius, & æthereæ magno pietatis amore,  
Sustinuit colles Roma videre tuos.  
Plenaq; relliquijs loca deueneratus, inanem  
Ad populos dextram non tulit inde suos.  
Osbibus & Latio sacris à Flamine lignis  
In patriam redijt nempe grauatus humū.  
Istaq; dona sacris Vestalibus obtulit, arētat  
Qua Gandershemios vallis aquosa lares.  
Quos cum sede sacra fundauerat ipse, quieto  
Deniq; postremos clausit honore dies.  
Vxoremq; reliquit Odā, quæ firmiter annos  
Tres, & ter septem vixit Olympiadas.*







B





# BRVNO DVX SA- XONIAE.

*Bruno potēs armis, factisq; ingentib⁹ Heros,  
 Multa sub assiduo Marte pericla tulit.  
 Non lotas Sacro baptismatis æquore gentes  
 Aggressus forti milite sæpè fuit.  
 Hasq; indefessis exercuit impiger armis,  
 Nec rarò in celerem compulit ire fugam.  
 Hic vrbì nomen dedit atq; exordia primus,  
 Quam lauat effusis Ocra vadosus aquis.  
 Tunc vt sex irent à partu virginis anni,  
 Quinaq; cum lustris & tria secla tribus.  
 Ast vt hyperboreo seclusos æquore Danos  
 Strenuus incautis aggrederetur equis.  
 Impeteq; illorum, quos sæpius antè fugarat,  
 Ad maris horribiles reprimeretur aquas.  
 Cum merso salsis in fluctibus agmine perdit  
 Bis senos Comites, Pontificesq; duos.  
 Et simul ipse perit, Dign⁹ meliore sepulchro:  
 In pelago est magnos triste iacere Duces.*







B 2





# OTHO DVX SA- XONIAE.

*Saxonas vt iusto regeret moderamine, prin-  
Laudat<sup>o</sup>, sapiens, atq; modest<sup>o</sup>, Otho. (ceps  
Ibant quingenti seclis cum quattuor annij  
Post sacra natalis tempora Christe tuj.  
Vandalicas acie domuit victrice cohortes,  
Victasq; impositum ferre coegit onus.  
Cæsar vt occiderat Ludovic<sup>o</sup>, ad ardua regnij  
Munera solenni more vocatur Otho.  
Ob pia virtutū monimenta, supremus ad illū  
Est rerum, imperio iudice, latus apex.  
Quem licet abijceret maturis debilis annis,  
Et tantas à se spontè moueret opes.  
Francorūq; Duci, fuit hoc qui nomine prim<sup>o</sup>,  
Conrado, regni scepra repulsa daret.  
In tamen ipsius manibus suprema potestas  
Stabat, & imperio Cæsaris instar erat.  
Sed quæ constanter reiecerat ille, sepulto  
Filius Henricus Cæsare scepra tulit.*








B 3





# HENRICVS AV= CEPS.

*AV* cupis Henricus Dux est cognomē adept<sup>9</sup>  
Quòd capere allectas arte solebat aues.  
Cæsar vt hic gereret regalia sceptrâ, rebellē  
In Bauarum magnis viribus arma tulit.  
Sed tamen edomuit verbis, sine sanguine vt  
Henrico victas tenderet ille manus. (Vltro  
Indè quaterdecies Hunnorum millia strauit,  
Martisburgenses quâ Sala radit agros.  
Profligansq; tuum deuicta Boëmia Regem,  
Ciuibus imposuit iussa tributa tuis.  
Marchiacas etiã Brenni cum mœnibus oras,  
Vandalicamq; graui robore pressit humum.  
Russosq;, Sclauosq; truces, cuneosq; Gothorum  
Contudit, à patria detinuitq; sua.  
Hic de Saxonica Dux stirpis origine natus,  
Imperij primus sceptrâ verenda tulit.  
Primus & hastate certamina ludicra pugnae  
Germanæ instituit nobilitatis opus.











HERMANNVS  
BILLINGIVS DE STVBE-  
KELCORNIA.

*Cæsar vt Henricus nato moriturus Othonj  
Tradiderat regni scepra decusq; suj.  
Et iam Cæsareas Otho iurè teneret habenas,  
Et varijs gereret bella coacta locis  
Vindice nūc Gallos p̄meret nunc Marte Boe-  
Nūc Latiū forti Pañoniamq; manu. (mos,  
Tūc Stucornensi veniēs Hermann⁹ ab ortu  
Saxonice clarus nobilitatis Eques.  
Finib⁹ in patrijs princeps ab Othone creatur,  
Et Dux in terris splendida Luna tuis.  
Armorūq; togæq; simul benè nouerat artes,  
Et cunctis animi dotibus amplius erat.  
His ita virtutum documentis mouit Othonem  
Vt Ducis eximij nomen opesq; daret.  
Lunæburgiacæ præceps arx imminet vrbi,  
Et sub ea Monachis atria structa iacent,  
Illius ac horum Billingius autor habetur,  
Hoc Duce, quo virtus euehat alma, patet.*







C





# BENNO DVX SAXONIAE.

*Contulit Hermanno, virtutū nomine, Cæsar  
Principis excelsi munera, primus Otho.  
Alter Otho Hermanni sobolem firmavit eodē  
Robore, Saxonicum constituitq; Ducem.  
Benno potēs siquidē generosis miles in armis,  
Et virtutis amans & pietatis erat.  
Stipabatq; frequens studijs & rebus Othonē,  
Et pars militiae nobilis huius erat.  
Indē, patrē tristes vt mors rapuisset ad vni-  
Inclita defuncti munera Benno tulit. (bras,  
Immotusq; fuit iusti defensor & æqui,  
Se præbens inopi diuitibusq; parem.  
Vandalia gentes, armis erumpere suetas,  
Et vicinorum depopulare domos,  
Benno suos intra fines residere cōegit,  
Impositumq; pio ter gore ferre iugum.*







C 2





# BERNARDVS DVX SAXONIAE.

*MORIBUS à patrijs simul & Bernardus auitis  
 Degener, ad patriæ venit ineptus opes.  
 Et per Saxoniam Magni Ducis ardua gessit  
 Nomina, cum Caesar tertius esset Otho.  
 Casareis proavi dictis parere solebant:  
 Bernardus rigida mente rebellis erat.  
 Munifici fuerant proavi: Bernardus auarus  
 Expilabat opes Saxonis ora tuas.  
 Turpis auariciæ princeps obnoxius, inde  
 Nominis amittit iusticiæq; decus.  
 Dumq; suos populos grauat exugitq; tributis,  
 Ciuibus inuisus redditur ille suis.  
 Ac mouet in propria tristes dititione tumultus,  
 Vt fera commotus ciuis in arma ruat.  
 Sic vt Vandalias oneraret censibus oras,  
 Exigeretq; truces ille tributa viros.  
 Fecit vt abycerent Christumq; fidemq;: redirēt  
 Adq; suos orta seditione Deos.*







C 3





# ORTULFVS DVX SAXONIAE.

*Sæpius in sobolem delicta parentis inundant,  
 Ut, quod hic indignè fecerit, ista luat.  
 Illud & Ortulfo sic contigit, ampla parentis  
 In decora, inq̄ auctas sordidè, vt iret opes.  
 Bernardi siquidè violenta grauamina, patris  
 Illius, vlturus Vandalus acer adest.  
 Afficit horrendis lugubres cladibus agros,  
 Et miseris captam cædibus implet humum.  
 Prædas raptor agit, Christi q̄ oracla p̄fessos  
 Conficit, & pueros, & necat ense senes.  
 At miser Ortulfus, desertus ab omnibus, arma  
 Hostibus opponit nil valitura suis.  
 Vincitur, inq̄ pedes coniectus sæpe fugaces,  
 Tantum non humeris tristia vincla tulit.  
 Sæpius ergo necis per multa pericla volutus  
 Tempore non longo scepra parentis habet.*












# MAGNVS DVX SAXONIAE.

*Vandalicis armis huius sunt tempore Magnj.  
Plurima ad Arctöum mœnia capta fretum.  
Occisiq; Duces, Christi q; Ecclesia diris  
Stragibus, & graubus penè sepulta malis.  
Anxietas miseros exercuit horrida Mystas,  
Totaq; Vandalicus terruit arua furor.  
Oppida diripuit, villas deiecit & arces,  
Quod gens Holsatici sensit egena solj.  
Cumq; Megalburgis populus Slesuiticus oris,  
Ac in Stormaricis Hammica castra plagis.  
Deficit in sterili Stucornica linea Magno,  
Linea ab exigui sanguinis orta viro.  
Hic magnæ plerüq; dom<sup>o</sup>, stirpesq; labascüt,  
Et quintum superat rara propago gradü.  
Circuitusq; suos non tantum regna per orbem,  
Sed quoq; regificæ nomina stirpis habent.*







D





LOTHARIUS IM-  
PERATOR DVX SA-  
XONIAE.

*Stirpe Siplenbarga fuit iste Lotharius ort<sup>o</sup>,  
Inclytus ex summa nobilitate comes.  
Auspiceq; Henrico, quarti qui nomē habebat,  
Est in Saxonici vectus honoris opes.  
At post Henrici cum robora martia quarti  
Sterneret, Imperij scepra decusq; tulit.  
Exigua res saepe manu feliciter egit,  
De quibus hic non est multa referre locus.  
Rhen<sup>o</sup> eas meminit, meminit Pegnes<sup>o</sup> et Ister,  
Quiq; per Insubrum voluitur arua Padus.  
Quin de Romanis meritis bene legibus, illis  
Reddidit amora nocte situq; diem.  
Inq; scholis iussit ciuilia iura docerj,  
Quae fuerant turpi puluere tecta die.  
Impulit huc legum vindex Irnerius illum,  
Obtinet aeterni nominis vnde decus.*







D 2





# HENRICVS GELPHVS DVX SAXONIAE.

*BOius, & illustri nat<sup>o</sup> de sanguine Gelpus,  
Qui celebre Henrici nomen habebat, erat.  
Hic tuus in bello comes ac in pace Lotharij,  
Cesarei assertor semper honoris, erat.  
Cumq; sacras regni peteret Conrad<sup>o</sup> habenas,  
Fusus ab hoc turba Matris ouante fuit.  
Inde tori consors Henrico facta, Lotharij  
Filia, & in dotem Saxonis ora, fuit.  
Hic varijs victus Conradi Marchio technis  
Nil profecturis induit arma viris.  
Saxonicumq; illis frustra pugnauit in hostem,  
Gelpus enim stabili mansit honore potens.  
Vltima dum moriens in fata Lotharius iret,  
Ambiretq; grauem Caesaris ille locum.  
Tunc à Conrado proscriptus, opesq; decusq;  
Et ius Bauarici perdidit omne solj.  
Atq; venenato tandem contabuit haustu,  
Quà colit antiquos vrbs Quedleburga lares.*







D 3





# HENRICVS LEO DVX SAXONIAE.



*REddidit Henrico Fridericus iura Leonj  
 Bauaria, nomen cui rubra barba dedit.  
 Rursus at eiectum priuauit honore bonisq̄,  
 In miseros nimium cum grauis esset agros.  
 A Luna dictos tamen & Brunone Ducatus  
 Cesare rettinuit contribuente Leo.  
 Cum prius immensa terras ditioe teneret,  
 Quas rapidis claudūt Rhen⁹ & Albis aquis:  
 Vir fuit in grauib⁹ præstans & idone⁹ armis,  
 Et tulit ad Christi Vandala regna fidem.  
 Fugerat ad clarū, cui subiacet Anglia, Regē,  
 Cum timidus magni Cæsaris hostis erat.  
 Hic Rex Henrici Leopardis arma duobus  
 Auget adhuc quos stirps āpla Leonis habet.  
 Hæc est quæ claris hodiè dominatur in oris,  
 Quæ Brunonis habent nomē ab Vrbe suum.*











BERNARDVS  
ANHALTINVS DVX SA-  
XONIAE.

*VT Leo priuatusq; bonis ad flumina Rhenj,  
Atq; loco, offenso Cesare, motus erat.  
Ortus Anhaltinae Bernardus origine gentis  
Accipit expulsi frena locumq; Ducis.  
Accipit auspicio Friderici haec munera primj,  
Herbipolis facti conscia cuius erat.  
Accipit imperij geminos Marscallius enses,  
Sertaq; de folijs inlyta Ruta tuis.  
Vandalicae contra violenta examina gentis,  
Bella triumphali gessit acerba manu.  
Quam tandem valido feliciter impete fudit,  
Albidos ad ripam qua Viteberga iacet.  
Deuictasq; suis adiecit finibus oras,  
Hoc fuit exitium Vandale dire tuum.  
Mansit in Ascaniae decus elenoris & enses,  
Octo cum lustris secula bina domo.*







E








ALBERTVS  
DVX SAXONIAE.

*In patris Albertus claros succedit honores,  
Vnaq; de septem pars fit & apta viris.  
Quos apud imperij ius, optandiq; potestas  
Caesaris, & summi perstat honoris apex.  
Impiger infestis fuit hic bellator in armis,  
Saepeq; deuicto nomen ab hoste tulit.  
Hic ex Christiadu collectas gente cohortes,  
Per virides saeuum trās mare duxit aquas.  
Menaq; expugnans, nomē quae solis habebāt,  
Abstulit indè caput Barbara dina tuum.  
Hic, Vitebergensi qui prim⁹ in vrbe resedit,  
Ex electorum posteritate, fuit.*

GEOMETRI

FIDES








E 2





# ADELBERTVS DVX SAXONIAE.

*Imperij Caesar cū scepra Rodolph⁹ haberet,  
Summus Habisburgæ gētis & arcis honos.  
Austriaci sunt vnde Duces, & nōia Regum,  
Teutonici gestant qui modò scepra solj.  
Tūc hic Adelbert⁹ princeps elector ad Albim,  
Saxoniae Dominus latipotentis erat.  
Et sibi connubio natam de Cæsare iunxit,  
Quæ meritò Hagnetis nomine dicta fuit.  
Cūq; hac pro thalami Comitatus dote Breensē,  
Atq; Palatini Saxonis arua tulit.  
A Madeburgensi superatus milite vulnus,  
Quæ stant Achouiae mœnia parua, tulit.  
Exuniasq; tibi tandem Vitebergæ reliquit,  
At titulos nato frenaq; clara suo.*







E 3





RODOLPHVS I.  
DVX SAXONIAE.

*STirpis vt Ascania soboles gerosa Rodolpho  
Saxonici gereret nomen & arma Ducis.  
Tristis erat, concussa graui Germania clade,  
Augustos inter quæ fuit orta duos.  
Hac Ludouic⁹ atrox, illac Frideric⁹ agebat,  
Damnaq; Teutonicis rebus vterq; dabat.  
In Madeburgiacos ciues lis seua Rodolphum  
De Gatterselebyis extimulabat agris.  
In ciues igitur tandem mouet arma superbos,  
Opponitq; manus vrbs animosa suas.  
Sic vtring; feris concurritur acriter armis,  
Qua iacet in tristi conscia Borca solo.  
Deuicti ciues, aut collo vincula portant,  
Aut animam fundunt hostis in arma suam.  
Sic patris est vlt⁹ clademq; fugãq; Rodolph⁹,  
Et ius asseruit vindice Marte suum.*

GRAMMATICA

DIALECTICA











# RODOLPHVS II. DVX SAXONIAE.

*Fortib<sup>9</sup> excellens animisq<sup>ue</sup> manuq<sup>ue</sup> Rodolph<sup>9</sup>,  
Accensus validi Martis amore fuit.  
Ergo abit ad Regē florens etate Philippū,  
Cuius in arbitrio Gallia diues erat.  
Quemq<sup>ue</sup> laceſſebat bellis Eduardus acerbis  
Ex medio ducens Anglica signa marj.  
Hic Dux militiae, Gallo tribuente, Rodolph<sup>9</sup>  
Factus, honorata tam gerit arma fide.  
Vt non conſpicuis tantum calcaribus auro  
Inde ſit ad patrios ipſe reuerſus agros.  
Sed quoq<sup>ue</sup> concluſam Regis ſub imagine ſpinā  
Ad ripas tulerit nobilis Albi tuas,  
Innocuo Chriſti liuentem ſanguine ſpinam,  
Ex ſpinis reliquam ſacra Corona tuis.  
Preſſa quib<sup>9</sup>, cōfixa quib<sup>9</sup> ſūt tēpora Chriſtj,  
Vt lueret pena crimina noſtra grau<sup>9</sup>.  
Hoc ceu virtutis ꝑcium ſublime Rodolphus,  
Hæc operæ, hæc fidi ſigna laboris habet.*







F





# VENCESLAVS DVX SAXONIAE.

*Venceslaus opes, post fata parētis & agros,  
Saxonicaeq; capit splendida signa domus.  
Iudicis emeruit recti cognomina, tutor  
Tam solidus recti iusticiaeq; fuit.  
Pontificum seuas felici Marte cohortes  
Eudit in aspectu Peina superba tuo.  
Victricemq; manum per eas circumtulit oras,  
Vi Biuelingiacas obtinuitq; domos.  
Hic tamē Albert<sup>o</sup> cecedit, Ringligi<sup>o</sup> Heros  
Qui Venceslao sanguine iunctus erat.  
Lunæburgiacas sic Venceslaus habenas  
Accipit, agnatus quasq; tenebat opes.  
Ipse tamen diro tandem quoq; vulnere laesus,  
Occidit ad muros anxia Cella tuos.*








F 2





# RODOLPHVS III. DVX SAXONIAE.

*Ortus Anhaltina septemuir stirpe Rodolpho,  
Saxonicae gladios sedis & arma tulit.  
Hunc & pontifices inter violenta simultas  
Incidit, hostiles insonuitque tubas.  
Nam Madeburgensis conducto milite praesul  
Irruit in fines alte Rodolphe tuos.  
Impugnatque tui non segniter oppida iuris  
Inclusosque viros obsidione tenet.  
Tuque superueniens properatis viribus, illum  
Deicis, & ciues obsidione leuas.  
Ut tandem vada Francorum tamen ipse reliquis,  
In tibi promissa deueberisque fide.  
A sacro, caperis tumefacti praesule Maenij,  
Frislaria in planis hic ubi surgit agris.  
Infelix princeps, tibi non modo vincula neuit,  
Sed quoque sors natos abstulit atra duos.  
Quos, ubi de porcis arx nomine adepta refulget,  
Obruit aëriae seu ruina domus.*







F 3





# ALBERTVS DVX SAXONIAE.

*Obtinet Albertus post fratris acerba Rodolphij  
Funera, Saxonici signa locumque Ducis.  
Inuenit exhaustos per fratris bella penates,  
Aruaque cum laribus prorsus egena suis.  
Multum bella nocent: hostes plerumque Rodolphus  
Fuderat, inde suas nil tamen auxit opes.  
Quin ita consumpsit, vix ut successor haberet  
Vnde suam posset sustinuisse domum.  
Vix igitur famulis stipatus quatuor ibat  
Imperij Albertus tanta columna sacri.  
Hic, ab Anhaltina descendens stipite gentis,  
Electo ratu ultimus arma tulit.  
Cum siquidem sine progenie prope ante obiret  
Territus a flammis Loccha perusta tuis.  
Sponte Sigismundus moderandas Caesar habens  
Contulit has Ducibus Misnia clara tuis.*











# FRIDERICVS I. DVX SAXONIAE.

*SEcula bis septem, post incunabila Christi,  
Et rapidis ibant bis duo lustra rotis.  
Electoris honos gladio cum duplici, quando  
Ad Dominos venit Misnia clara tuos.  
Hoc decus emeruit rebus Fridericus honestis,  
Mars Hussitarum cum populareret opes.  
Namq; Sigismundus tulit istud Cæsar in illū  
Stirpis Anhaltinae deficiente domo.  
Fortiter imperij quod bella tulisset in hostes,  
Et præstans animis iusticiaq; foret.  
At licet in grauib<sup>9</sup> Fridericus viueret armis,  
Immemor Aoniæ non tamen arcis erat.  
Hanc ex Pragensi velut extulit illa ruina,  
Inq; tuos posuit Lipsia pulchra sinus.  
Christus vt ante decē bis binaq; secula et años  
Bis binos, totidem lustra q; natus erat.  
Qui fouet, ac placidè Musarū sacra tuetur,  
Vtilius princeps nil agitare potest.*







G





## FRIDERICVS II. DVX SAXONIAE.

*NOMĒ vt elector patris Fridericus habebat:  
Æmulus in dotes sic quoq; patris erat.  
Contudit hostiles audaci Marte Boëmos,  
Et rutilo tristes dispulit ære minas.  
Marchiacamq; manu strauit victrice cohortē,  
Quæ mala Saxoniam depopulabat humū.  
Et, quæ munierant fossis & mænibus hostes,  
Æquauit viridi castra dirempta solo.  
Ingentes Friderici animos, dextrāq; potentē,  
Lusatia in timidis anxia sensit agris.  
Sensit et in tremulis memor Albis, et horruit,  
Quæ ruit ad muros clara puella tuos. (vndis.  
Sensit & aduersis frater Gilielmus in armis,  
In quem bella quidem ferre coactuserat.  
Bella quidem gessit cum fratre coacta, sed illa  
Sunt auibus tandem conciliata bonis,  
Frenaq; per longam Fridericus auita quietem  
Inde tullit, placidæ succubuitq; necj.*







G 2





# ERNESTVS DVX SAXONIAE.



*Functus ut ad manes ierat Frideric⁹ auitos,  
 Filius ablati scepra decusq; capit.  
 Teutonici Ernest⁹ mensurā nominis implens.  
 Ut plerunq; suum nomina pondus habent.  
 Ut tamen in reprobos erat ille sever⁹ & acer,  
 Sic placidos erga mitis & equas erat.  
 Castorei lapidis terras, Serræq; Ducatum,  
 Finibus adiecit Marte potente suis.  
 Et, Medy quæ nomen habet, circūdedit urbē,  
 Quæq; Sal ad Sale flummina pura coquit.  
 Haudq; illas obsedit iners, sed utrāq; coegit,  
 Hæc faceret partes & simul illa suas.  
 Nec minus oblatæ complexus munera pacis  
 Innocua dignas pace reliquit opes.  
 Namq; suas passim sublimia castra per oras  
 Struxit, & impensa regia tecta grauē.  
 Felici genuit Fridericum semine, falsi  
 Vindice quo cecidit frausq; dolusq; Papæ.  
 M. Hen: Moll: H.*








G 3





# FRIDERICVS III, DVX SAXONIAE.

*AV*rea faelices viuebant secula gentes  
Cū regeres nostras Dux Friderice plagas,  
Bella alij ferro, sed tu ratione gerebas,  
Et sinè vi victi sæpè dedere manus.  
Ingenio claros meruisti sæpè triumphos,  
Militeq; haud vllò fixa trophæa tibi.  
Et pacis studijs florere ac artibus vrbes  
Contigit auspiciò Dux Friderice tuo.  
Namq; tuo sumtu flauñ scola cõdita ad Albim  
Vt vitæ uerum traderet illa modum. (est  
Hic Euangelij primum doctrina renata  
Deterso cæpit pura nitere situ.  
Et cum Germani sumpsissent arma Tyrannij  
Contrà Euangelion, sanctaq; iussa DEI:  
Doctores tibi cura pios defendere solj  
Et CHRISTI latè spargare dogma fuit.  
His tibi pro meritis grata præconia voce  
Posteritas omnis virq; puerq; canet.











# IOHANNES I. DVX SAXONIAE.

*EV* nere sublati post fata nouissima fratris  
Tradita sunt regni frena gerenda mihi,  
Tempore quo saeuit toto Mars impius orbe,  
Rustica gens dominis cum tulit arma suis.  
Tunc ego Germanis sedauit incendia terris,  
Afferui & regnis dogmata pura meis.  
Vindelici oris ad Caesaris ora vocatus  
Saluifica fidei iura professus eram.  
Talibus, atq; alijs factis odia aspera moui  
Inuicta superans omnia damna fide.  
Sic quibus inuisus fueram sum deniq; amatus,  
Et laudē ingenua de pietate tuli. (cessē est,  
Quisquis amat Christū subeat mala multa ne  
Sed tamen hoc ipso vindice victor erit.





H





IOANNES FRIDE-  
RICVS DVX ET ELEC-  
tor Saxonix. & c.

GRAMMATICA



*Cernis in aduersa facie nūc vulnus honestū,  
Quod Dux Saxonix captus & exul habet:  
Hoc pius accepit recti sibi conscius Heros,  
Pro lege & patria fortia bella gerens.  
Huius vbi adspicies pictos in imagine vultus,  
Quales hic Luca dat tibi docta manus,  
Quicumq; es pietatis amans, vt leniat illj  
Ærumnas, crebra voce precare DEVM.*

DIALECTICA



D. Paulus Eberus.







H 2





SIBYLLA CON-  
IVNX IOANNIS FRI-  
derici I. Electoris.



*ME quoq̄, fœlicem quondam, florente marito,  
Nunc miseram illius fors miseranda facit.  
Quem procul abductū peregrino milite, lugēs  
Absumor lachrymīs tabificoq̄ metu.  
Vtq̄, gemit castus, sublato compare Turtur,  
Nec liquidam è vitreis fontib⁹ haurit aquā.  
Sic ego præ cunctis charo viduata marito,  
Abstineo cultu delitysq̄, datis.  
Sola sed, auxilijs, Christi vox, omnibus orbā,  
Sustentat, præbens spemq̄, fidemq̄, mihi.  
Ab Deus ærumnas tantas moderare, mihiq̄,  
Ex duro eductum carcere, redde virum.  
Redde virum, Magni placata Cesaris ira,  
Quæ toties alijs lenis & æqua fuit.  
Sicut & hæc dulci iunxit me charta marito:  
Sint quoq̄, iuncta iterū corpora nostra ꝑcor.*



D. Paulus Eberus.







Handwritten initials or mark.

H 3







IOANNES FRIDERICVS II. DVX SAXONIAE.



*HÆc est Ioannis Friderici vera Secundj  
Principis effigies Saxonicaq; Ducis.  
Tunc vbi (si ternos superaddas in super años)  
Egerat ætatis bis tria lustra suæ.  
Friderici primi Soboles generosa parentis,  
Qui mala pro Christi nomine multa tulit.  
Filius vt faciem, sic & pietatis amorem,  
Pulchraq; in ingenuo pectore dona refert.  
Agnouitq; Deum teneris edoctus ab annis,  
Quodq; sit æternæ dulce salutis iter.  
Hunc vera pietate colit, cœlestia mundj  
Esse sibi statuens anteferenda bonis.  
Vnde fouet Verbūq; Dei, Verbiq; ministros,  
Quos quacunq; potest commoditate iuuat.  
Iura dat & leges populo, pacemq; tuetur,  
Pœna malis posita est, præmia digna bonis.  
Fac Deus hac maneant in religione nepotes,  
Sic pax æternis floreat alma bonis.*











# IOANNES GVIL- HELMVS DVX SA- xonix.


*S*Axonix Ducis hic spectatur forma Ioannis  
Guilhelmi, Lucæ quam modò dextra dedit.  
Talis erat vultu cum iam trieteride iuncta  
Impleret vitæ bis tria lustra suæ:  
Qui princeps nulli generosa stirpe secundus,  
Est Dux illustri de genitore satus,  
Qui pietatis amans & iusti regna gubernans,  
Pro verbo subiit mille pericla DEI:  
Atq; peregrinis exul detentus in oris  
Pectore constanti tristia damna tulit.  
Sic quoq; Guilhelmus longè fortissim<sup>9</sup> Heros  
Eiusdem verbi flagrat amore DEI.  
Dat iustas populo leges, defendit honestum,  
Sintq; bonis curat præmia, pœna malis. (fers  
Summe parës, qui sceptrâ pius largiris & au-  
Tu rege diuino numine corda DVCVM:  
Vt placidæ capiens Ecclesia commoda pacis  
Grata tuum fasto nomen in orbe canat.



GEOMETRI



FIDES







I





# IOANNES FRIDERICVS III. DVX SAXONIAE.



*Est hæc Ioannis Friderici vera figura,  
Nobile qui nomen tertius istud habet,  
Saxoniciq; soli Dux est, ac talis hic Heros  
Cum quinis annis bis duo lustra videt.  
Magnâimo sat<sup>o</sup> est Princeps hic de patre, puræ  
Qui Septemuir amans religionis erat.  
Æmulus vt patris faciei cernitur huius  
Vultus, quem præsens picta tabella refert:  
Sic quoq; prælustis genitoris splēdida dona  
Ac dotes animi DVX generosus habet.  
Æternæ certum teneris edoctus ab annis  
Solerti didicit mente salutis iter.  
Amplior aut maior nō est in Principe virtus  
Supremi vera cognitione DEI.  
Historicos libros quoq; voluit sedulus, inde  
Quid sit sectandum, quæ fugienda capit.  
Summe Deus seruato Duces, ac ptege fortis,  
Qui veræ curam religionis agunt.*







I 2





# GEORGIVS DVX SAXONIAE.

*Saxonia Regum de stirpe Georgius ortus  
 Extremo vitæ tempore talis erat.  
 Mysia cui locuples argenti ærisq. metallo,  
 Paruit & multis fortibus aucta viris  
 Conditæ sunt, regnante illo, feliciter Anno  
 Urbis in excelsa mœnia monte sita,  
 Urbis & alterius cæperunt crescere murj  
 Quæ de Christi paræ nomine nomen habet.  
 Ante sed hanc moriēs fragile q̄ liqueret aurã,  
 Pignoribus thalami dulcibus orbis erat.  
 Hic igitur postquam properata morte perisset  
 Henricus Frater sceptræ regenda capit.  
 Qui claustris monachos templis idola profana  
 Eiecit, spargens dogmata pura DEI.*

GRAMMATICA

DIALECTICA







L 3





# HENRICVS DVX SAXONIAE.



*Q*uod ferat huic etiã pietas sua præmia vitæ,  
Nec tantum æthereas promereatur opes,  
Principis Henrici fortuna coarguit ingens,  
Quem pictura suis partibus ista refert.  
Cum sequeretur enim constãti lumina mète,  
Quæ puræ monstrant religionis iter.  
Quas non est hostis technas molitus in illum?  
Quæ non est patrijs damna minatus agris?  
At non hæc placido tantum Deus omnia nutu  
Dispulit, innocuum sustinuitq; Ducem.  
Sed quoq; fortunis illum maioribus auxit,  
Heredem patrijs constituitq; bonis.  
Quæ Dux tam iustè, fratris post funera, rexit  
Principis abstulerit nomen vt indè bonj.  
Huic, à pontificum figmentis libera, debet  
Misnia, quod vero nunc colat ore DEVM.  
Huic quoq; Mauritiũ virtute et Marte potèntè  
Debet, & Augustum Teutonisorum Ducem.  
M. Henric. Molle. Hesus.











# MAURICIUS DVX ET ELECTOR Saxoniae.



*Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,  
Et subito casu quæ valere ruunt.  
Ut perit in primo Pelides flore iuuentæ,  
Pyrrhus & hoc ipso de genitore satus,  
Ac Asiæ domitor Macidum de stirpe creat⁹,  
Et qui Burgundas Carolus auxit opes:  
Sic iam Mauricium nimium properantia fata  
Saxoniae terris eripuerunt Ducem.  
Qui Gallos, Turcosq; feros virtute repressit,  
Militiæ præstans artibus, atq; togæ.  
Hic modo cū patriam iustis defenderet armis,  
Fudissetq; hostes auxiliante DEO:  
Fraude glob⁹ missus victorē vulnerat, inde  
Post pugnam vitæ non mora longa fuit.  
Commendās animā sed Christo, exordia vitæ  
Hausit celestis non dubitante fide.  
Est fragilis natura hominū, sed reddere vitæ  
Gaudia vult Christus, non moritura pijs.*







K






**AVGVSTVS DVX  
ET ELECTOR SA-  
xonæ.**



*HÆc Ducis Augusti facies qui pacis amator  
Roma tuum Augustum nomine, reſq; refert.  
Iuſticiaq; tenens populofam Saxonis oram  
Suscepit fratris frena relicta ſuj.  
Huncq; ſibi generũ Rex prætulit omnib; vnũ,  
Qui tenuit iuſta Danica ſceptra manu.  
Nota viri virtus, nota eſt conſtantia mentis,  
In pietate fides, pro pietate labor.  
Ergo nec inuidiam metuit, nec triſte minãtes  
Excidium regno Marte latente ſuo.  
Nõ vis, aut numer; tandẽ bona cauſa trium-  
Defendente Deo nulla ruina nocet. (phat,  
Augusto imperiũ Deus augeat, augeat años,  
Sic creſcet nati gloria vera ſuj.*

**I. M. I. D.**







K 2



OK 939



VVITTEBERGÆ  
EXCVDEBAT GABRI-  
el Schnellboltz.

A N N O.

I 5 6 3.













Vc  
939

h. 70, 2.  
ELLY  
RVM I  
PRÆSTA  
TVTE ET R  
GESTARVM  
gies, ab ann  
annum  
mo

MO=  
NIÆ  
A, VIR  
TILITER  
AE EFFI  
2. vsq, ad  
gnis

1 5


Sit no  
lū. Quia  
ra et a  
tiam apic

EXC  
gæ

7 I.

ecw=  
2po=  
nen=  
r.

R=



B.I.G.

Farbkarte #13

